DEO OPT. MAX. UNI ET TRINO, VIRG. DEIPARÆ, ET S. LUCÆ ORTHODOX. MEDIC. PATRONO.

QUÆSTIO MEDICA

MANE AGITANDA

IN PUBLICIS MEDICORUM SCHOLIS

CELEBERRIMÆ CADOMENSIS ACADEMIÆ.

M. MATT. MAHEULT DE VAUCOULEURS, REGIS CONSIL. ORDIN. MEDICO, ET PROF. REGIO, MODERATORE.

36

An in febre diuturnâ vinum vomitorium ?

CUM corpus humanum non modò à calore interno, sed & rerum externarum injuriâ variè lacessatur; pauci homines ultimum vitæ senium attingunt: itaut nemo sete sit, qui statam sibi vitæ periodum, licet ea brevis sit, conficere queat. Si quis enim ita temperatus sit, ut blandæ voluptatis illecebris nunquam irretiatur; ita moderatus, ut omnes animi impetus comprimat & sedet; ita providus, ut volubilis inconstantisque fortunæ præcipites casus antevertat: nullo modo ætis substantiâ vel qualitate peccantis incommoda subitasque mutationes vitare, nullâ arte alimenta cæsestium corporum vi, aut aliâ quâvis ratione viriata corrigere poterit; sicque dum ab his uno aut altero die majorem, quàm à calore interno per animum integrum mutationem subit, morte immaturâ præripitur. Cùm enim illæ & similes causæ corpus nostrum penetrant, ea quibus afficiuntur vitia humoribus impertiunt, corrupti humores per totum corpus fluentes partium simplicium eucrasiam pervertunt, compositarum symmettiam infringunt, utrarumque nexum dissolvunt, omniumque functiones lædentes, triplicem morbi speciem producunt; similarem qui partium simplicium intemperies; organicum qui compositarum amerria; communem qui utrarumque solutio nuncupatur. Ex hoc triplici fonte innumeri penè morbi scaturiunt, quos inter nullus febre frequentiùs, sæviùs & diutiùs in genus humanum sævit. Febres enim homines cujusque ætatis, sexus, temperiei, non modò in omni loco, sed & omni tempore & tempestate invadunt: hieme quidem & verè symptomaticæ: æstate tertianæ, continuæ, ardentes: autumno quartanæ & errantes: cælo sereno acutæ, eodem nubilo diuturnæ. Febres cum nobiles partes obsideant, gravia & periculosa inferunt symptomata quæ ad annum aliquando perseverent.

CUM sanguis in corde citiùs ac magis rarefit, calorem præternaturalem concipit, qui jugi ipsius circuitu corporis partibus communicatus earumque functiones manifestè lædens febris est; continua quidem si ab initio in finem nullo stato excantescentiæ ordine perseveret; intermittens verò si semel soluta denuo recurrat. Continua vel simplex est vel putrida: illa quæ sanguinis intemperies est, quâ is citra putredinem nimium incalescit, à causis evidentibus utrumque sanguinis motum promoventibus ortum ducit, quæ cùm leves sunt, Ephemeram; cùm majores synochum; cùm maximæ hecticam febrim proferunt. Putrida fit à sanguine corrupto vel à transpiratione prohibitâ, necnon etiam à cibis aut putridis aut intempestivè ordineve præpostero sumptis; & tunc primaria est: vel sit à pravâ alicujus partis affectione; & tunc symptomatica nuncupatur. *Intermittens* ratione paroxysmi diversò tempore recurrentis, alia est quotidiana quæ quotidie; alia tertiana quæ alternis diebus; alia quartana quæ quarto quoque die repetit. Harum omnium materia humor est excrementitius, quotidianæ quidem, succus acidus è corde per arterias in ventriculum effusus; tertianæ, bilis in cysti felleâ collecta; quartanæ, succus pancreaticus in ipso pancreate à sanguine secretus. Cùm enim horum liquorum aliquis in proprio conceptaculo longiorem moram trahit, putrescit ac fermentatur, turgensque in intestina abit, è quibus ijsdem quibus chylus vijs ad cor delatus, instar olei flammæ injecti, hujus calorem obtundit, quo obtuso sanguis tardiùs, ratiùs minusque rarescens, parique modo arterias dilatans, pulsus tardiores, ratiores, minoresque efficit; sicque diminuto utroque sanguinis motu, frigus aliquando solum, aliquando cum horrore aut rigore corpus pervadit. Hinc nullo aut pauco liquore acido è corde in ventriculum delabente dejicitur appetentia, paucis denique productis spiritibus nervi ita laxantur, ut somnus obrepat, spontanea lassitudo artus omnes occupet, motus gravis sit & piger, sensus omnes fiant hebetiores.

POSTQUAM prædictus liquor cum sanguine per cor sæpius fuit delatus, tandem accenditur, ignemque concipit eò majorem, quò ille acrior est aut crassior: jam citiùs, crebriùs, magisque rarescente sanguine, similique modo arterias distendente, pulsus fiunt celeriores, crebriores & majores; hinque aucto utroque sanguinis motu, calor acer & mordax per universum corpus percipitur; turgent venæ & arteriæ, maximeque pulmonum, unde difficilis respiratio. Idem liquor unà cum circumeuntre sanguine varias partes penetrans varia infert symptomata: ipso enim in ventriculum delabente, nausea, vomitus, singultus, cardialgia, sitis infestant; per præcordia infimumque ventrem vagante, fiunt alvi fluxus, hypochondriorum dolores & rumores excitantur; urinæ rubræ & igneæ cientur; eodem ad caput sublato facies rubet, micant oculi, pulsant tempora, caput dolet. Tanto perseverante motu sanguis plurimus, isque subtilissimus per arteriarum contextus in cerebri ventriculos trajectus in spiritus abit, qui perniciter conciti, mentemque ad cogitandum continuò impellentes vigilias inducunt; eodem motu perseverante, quæ cerebro impressa sunt vestigia, spiritus variè percurrentes, multa quæ nusquam aut aliter multò subsistunt, menti objiciunt. Hæc illa apprehendens in falsa quædam fictitiaque traducitur, pluraque nullo ordine nulloque judicio æger obloquens, delirare dicitur. Si quando horum spirituum tantus sit motus, ut cerebri fibræ quæ in unam partem flexæ erant in aliam ducantur, deletis prioribus vestigijs, memoria deperditur. E cerebri ventriculis in nervos influentes spiritus hos ita tendunt, ut non modo à minimâ re externâ moveantur, unde corporis partes sensu exquisitissimo præditæ à quâcumque re objectâ lædantur; sed & musculos variè distendant, unde totius corporis inquieta jactatio, necnon etiam convulsio aliquando supervenit. Tandem cùm sæpius repetito sanguinis motu prædictus liquor eam partium tenuitatem est adeptus, ut per patentes arteriarum meatus in corporis habitum extremamque cutim pervenire possit; tunc corpus sudore diffluit, usque eò dum totus foras propellatur, cessetque febris paroxysmus die altero, aut tertio, quartove recursurus, si nova materia prioris reliquijs permixta denuo effervescat.

CUR succus acidus quotidie, bilis alternis diebus, succus pancreaticus quarto quoque die fermenteur, palam fit attendenti succum acidum plures primi elementi partes quàm bilem, hanc rursus plures quàm succum pancreaticum continere; proindeque illum citiùs bile, hanc rursum citiùs succo pancreatico fermentari. Hinc anticipant cunctanturve febrium paroxysmi, cùm earum materies præter consuetudinem augescit vel minuitur; extenuatur vel crassescit; majori vel minori motu concitatur. Quin interdum ita augescit, extenuatur, movetur ut intra consuetum periodi tempus bis fermentetur, bisque intra idem tempus paroxysmus recurrat, fiatque duplex vel tertiana vel quartana, quæ aliquando triplex evenire solet. Febri continuæ intermittens sæpè implicatur; itaut illa totâ morbi periodo nunquam intermittat, remittat verò & excandescat, vel quotidie, vel tertio quartove die, eo tamen à simplicibus intermittentibus discrimine, ut illarum excandescentia neque frigore incipiat neque sudore terminetur, quòd earum materies cor ingressa, ab eo, quo jam sanguis exæstuat, calore statim accendatur; deinde ab aucto calore in partes ità tenues subdividatur, ut insensili transpiratione evanescant. Febris continua, quòd in vasis majoribus causam habeat, diuturna esse non solet: si enim acuta fuerit, die decimo quarto judicatur, sin minùs præscripto levi pharmaco facile sedatur. Licet autem febris intermittens si tertiana exquisita fuerit, septimâ periodo aut etiam priùs solvatur; & quartana quæ æstate incidit, difficilem exitum non habeat: quia tamen ejus conjuncta causa in præcordijs, ad quæ medicamentorum etiam mediocrium vis integra non pervadit, persistat; antecedens verò in venis, arterijs, sæpè etiam in ventriculo hospitetur; ea, quibus alij morbi oppugnantur expugnanturque præsidia, eludit. Victus quidem ratio cùm tenuis præscribi non possit, plena verò novam morbo materiam suppediter, hic locum non habet, sicuti nec venæ sectio, quæ nonnunquam impuro relicto, purum sincerumque sanguinem è venis profundit. Senna, Rheum, Agaricus aliaque levia medicamenta camarinam movent, non emovent, & morbum blandiendo exasperant, non sanant. Scammonium, Colocynthis, Elaterium similiaque fortiora medicamenta febrem diuturnam aliquando sanant, at morbos febre pejores semper procreant.

STIBIUM, vulgo Antimonium, corpus est è mineris erutum, mediam inter lapidem & metallum naturam sortitum, ex duplici sulphure fixo & volatili, hydrargyro, paucoque sale concretum; secundum frigiditatis gradum, siccitatis tertium non transcendens. Optimum censetur quod ex Hungariâ asportatur; radians enim est, splendidum, cicindelarum modo emicans, confractu crustosum, friabile, nil terræ aut sordium continens. Licet autem crudum antimonium, quòd impuro ipsius sulphuri aliquid Arsenici sit admixtum, inter deleteria à quibusdam recenseatur, illius tamen vis maligna, quæ in illo sulphure volatili maximè consistit, igne ita corripitur, ut ex illius variâ præparatione varia medicamenta eruantur. Sic antimonij flores, vitrum, oleum, spiritus, sulphur, tinctura, sal, calx optimè extracta, justâ quantitate & tempore exhibita, Hepatis, Lienis, Mesenterij, Pancreatis, Uteri, Renum, aliarumque patrium in infimo ventre contentarum obstructiones solvunt; Scorbuto, Melancholiæ Hypohondriacæ, Apoplexiæ, Lethargo, alijsque, qui somnum inducunt, affectibus, Epilepsiæ si unà aut alterà ante insultum horâ exhibeantur, morbisque malignis medentur: ulcera tum interna cùm externa sanant; excrescentes carnes cohibent; oculorum purgant ulcera; sanguinem è meningibus profluentem sistunt; ambusta igni in pustulas erumpere non sinunt. Hæc eadem longèque plura præstat vinum emeticum, ex Antimonij cum pari nitri defæcati quantitate in calcem redacti infusione vulgò confectum, & cum sennæ infusione exhibitum. Hoc enim ventriculum ingressum, quæ vel in illius capacitate hærent, vel tunicis penitus insederunt, vomitione expurgat; hinc quæ in intestinis diutiùs morantur, vel in illorum membranas se infixerunt, per alvum ejicit; quæ cordi sunt inimica, quæque syncopem palpitationemque inferebant, evincit; sanguinis massam penetrans, nimiam ipsius acrimoniam retundit; intemperiem calidiorem infringit; putredinem coërcet; quidquid in sanguine superfluum est, adstrictione suâ exprimit, siccitate absorbet; humores coctos excretionique paratos, quæ in venis atterijsque vel maximè dissitis hærebant, è corpore exturbat; alios qui circa præcordia stagnabant, & qui longiori sui morâ Cachexiam, Attophiam, languores, lentas, errantes, diurnasque febres inferebant, quæ nullis alijs remedijs eliminati poterant, nullo ægri dispendio per alvum expurgat.

Ergo *in febre diuturnâ vinum vomitorium.*

F.M.P. BIBLIOTHEQUE

Has Theses proponebat JOANNES FRANCISCUS LE COURT, *Cadomæus, Medicinæ Baccalaureus, die 7. Februarij, ab octavâ ad meridiem. A. R. S. H. M. DC. LXXV.*

CADOMI, Apud JOANNEM CAVELIER, Regis & Academiæ Typographum.